



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **RATNAPURENSIS*** INTRA SRILANKAE FINES
NOVA CONDITUR DIOECESIS RATNAPURENSIS Ad aptius consulendum in Srilanka evangelizationis operi, quod
primarium est officium Ecclesiae, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro
Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa auditisque pariter eorum, quorum interest, faventibus votis,
censuerunt ibidem novam condendam esse dioecesim. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere Pastoris et Patris
universi populi Dei, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Gallensi dioecesi
separamus partem septemtrionalem eius territorii; ex eaque novam constituimus dioecesim ab urbe principe eiusdem
regionis *Ratnapurensem* appellandam, quam metropolitanae Sedi Columbensi in Taprobane suffraganeam facimus
atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac fines territorii
Provinciae civilis « Sabaragamuwa » nuncupatae. Praeterea iubemus Episcopi cathedralm poni in templo Deo in
honorem Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli dicato, in urbe « Ratnapura » exstanti, quod ad dignitatem ecclesiae
Cathedralis evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perficienda
committimus Venerabili Fratri Osvaldo Padilla, Archiepiscopo titulo Piensi atque in Srilanka Apostolico Nuntio, onere
imposito authenticum exemplar actus peractae execusionis ad Congregationem, quam diximus, remittendi. Volumus
denique singula et omnia hisce Apostolicis Litteris decreta plene vim sortiri suam tam nunc quam in posterum usque
tempus, contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus.*Datum Romae, apud S. Petrum, die altero mensis*
Novembbris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	JOSEPHUS card. TOMKO <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

JOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVIII (1996), n. 2, pp. 141-142 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana